

enigmati qli in hac vita in dem.

pat. s. no totat plicu in m. ut



XVII.
SCIPIONIS
GENTILIS
IURISCONS.
DISPUTATIO
DE EO QUOD
INTEREST.

Quam

*JUVANTE DEO
publice defendere conabitur*

THEODORVS BVS-
SIUS KALENBERGVS
SAXO BRUNSVIG.

ALTORFI NORIC.

M. Januario,

Anno clo Io CVIII



NORIBERGÆ,

E Typographeo Abrahami Wagenmanni.

.117.

AD MAGNIF. ET AMPLISS. V.
DN. WERNERUM Rönig JC.
SERENISS. PRINCIPIS HENRICI VII
B. & L. D.

CANCELLARIUM
&
Legatum in Comitibus Ratisbon.


Publica dum tetricis lassant te munia curis,
Turbidus egelidis qua fluit Ister aquis:
Inter & imperii proceres sapientia promis
Consilia, & patriæ fers miseratus opem:
Dum libertatis sanctæq; sacraria pacis
Erigis, & fessum relligionis opus:
Iusaque obis magno tibi credita Principe: cujus
Cor merito atque auris diceris, atque oculus.
Pectoris huc candor gravitasq; fidesq; probati
Te vehit, & celsi fervida vis animi.
Nec tua te virtus tantarum pondere rerum
Moleq; curarum subcubuisse finit.
Robore sed vegeto perfers ardentior: axis
Pondera cœlestis ceu subit acer Atlas.
Si potes ingentes paullum dimittere curas
Huc ades & placida paucula fronte lege,
Quæ tibi nostra penu sacræ de prompta Themistos
Mûsa dat, ingenuas fusa rubore genas.
Ne rogo parva meæ ne spernas munera Musæ
Magne heros: capjat pronus at ista favor.
Magna dare ingenuæ est laus indolis: attamen est hæc
Non minor, exiguum consuluis se boni.

Theodorus Bussius.





DISPUTATIO DE EO QUOD INTEREST.

 *Vm multa sint in jure civili non satis explicata res;
tum omnium difficillima est tractatio Eius quod in-
terest: idq; omnium Doctorum consensione constat.
Ex quibus etiam quidam summus Jurisconsultus
nostri ævi, Labyrinthi extricationem de eare scripsit.*

THESIS I.

ID quod interest ita a Paullus definit, Quantum mihi abest,
quantumq; lucrari potui. *b* Adcursius, damnum emergens &
lucrum cessans.

*a) l. si commissa. D. rem rat. hab. b) l. un. C. de sent. qua pro
eo quod int. profer.*

II.

Non solum enim damni adcepti, sed & lucri intercepti ratio
habetur in æstimatione ejus quod interest. Causa autem ejus est
mora vel alia culpa, vel sine culpa, conventio.

III.

Quare Jurisconsulti id quod interest, & a utilitatem appellare
promiscuè solent, & b a re principali, vel rei æstimatione distin-
guere. *a) l. proinde. D. ad L. Aquil. l. pen. si quis caut. l. 2. l. 3. in
fin. D. quod certo loc. l. cum quis. §. 1. D. de furt. cum simil. b) l. evi-
cta. D. evict. l. 1. §. considerandum. D. de tut. & rat. dist. l. hæc
verba. 193. D. V. S.*

IV.

Utilitatem vero intelligunt non omnem, sed eam, a quæ circa
rem consistit, quod Justinianus dicit, si quod revera inducitur
damnum: idemq; se in lucro amplecti ait, in constitutione illa no-
bilissima, de sent. quæ pro eo quod inter. profer. *a) l. si sterilis
§ cum per venditorem. D. act. emt.*

A 2

Circa

V.
Circa rem consistere eam utilitatem putamus, in qua hæc duo concurrunt, ut ex re, de qua agitur, haberi certo, & ex sola ea re haberi potuerit, non aliunde.

VI.
Primum si certitudo illa desit, quantumvis alias potuerit ex ea re, etiamq; consueverit utilitas percipi: non tamen in ejus, quod interest, æstimationem veniet.

VII.
Ut in L. Aquilia, si retia ad pisces captandos disposita, ab aliquo rupta fuerint, retium æstimatio fiet, non piscium qui capi potuerunt. Idemq; in venatoribus & aucupibus probandum, deniq; in omni negotio, & merce aut pecunia. *l. quemadmodum.*
§ idemq; Labeo. D. ad L. Aquil.

VIII.
Deinde si aliunde potuit haberi, quod ex re, quæ præstari debet, certo potuit, id non æstimatur. *d. l. si sterilis. §, cum per venditorem.*

IX.
Veluti, si triticum, quod debebas, mihi non præstiteris, eoq; factum sit ut familia mea fame laboraret. Aut si vinum venditum mihi non tradideris, ex quo lucrum poteram facere. Nam id lucrum non tam ex re quam ex negotiatione perciperem.
l. creditor. v. nam si. D. de her. vel act. vend.

X.
Quod si utrumq; concurrat, eorum quæ diximus utilitas circa rem consistere dicetur. Veluti si servum meum, qui hæres institutus erat, occideris. Hereditatis ratio habebitur, quam ex servo essem certo consecutus, nec aliunde poteram.
l. proinde. l. inde Neratius. D. ad L. Aquil.

XI.
Tum vero utilitates etiam, quæ circa rem non consistunt, æstimandæ erunt, cum id convenit, actumve est.

XII.
Actum intelligimus etiam loci vel temporis adjectione. Ut in pecunia, quæ certo loco *b* aut tempore dari debuit: omnis utilitas venit etiam extraria, itemq; damnum: puta, si eo loco mihi non soluta pecunia pignora mea distracta fuerint, si merces ibi comparare, lucrumq; facere potuerim. *a) l. 2. §, ult. D. quod cert. loc.*
b) l. 4. D. cod. Idem

XIII.

Idem efficitur personæ adjectione, veluti mihi aut Titio, utrum ego velim dare spondes. Nam si mea interfuit, potius Titio solvi, & ei solutum non sit, puta quod pœnam promiseram, nisi Titio solveretur: hæc utilitas mihi præstari debet. *l. liber, 118. §. ult. D. V. O.*

XIV.

Id quod interest, ita vulgo Interpretes diviserunt, ut dicerent, aliud Singulare esse, aliud Commune, aliud Conventum. Falso & absurde.

XV.

Unum genus est, sive rem & utilitatem, quæ æstimatur, spectemus, sive æstimationem, aut æstimandi modum.

XVI.

Una utilitas est, ea scilicet, quæ cujusq; propria habetur, sive quod sua cujusq; interest. *l. antep. §. fin. D. de op. nov. nunt. l. 3. §. si ad plures. D. de sep. viol.*

XVII.

Æstimatio etiam una. Quanti scilicet unaquæq; a res communi hominum opinione usuq; æstimatur. Vel b quanti res puta vendita est. *a) l. pretia. D. ad L. Falcid. l. si servum meum D. ad L. Aq.*

XVIII.

Singularis æstimationis, quam illi fieri ex adfectione cujusq; dicunt, a nulla ratio haberi debet, licet b ob adfectionem interdum actio detur, quæ sine illa non daretur. *a) d. l. si servum. d. l. pretia. b) l. 35. D. de min. l. 36. D. de bon. lib. l. cum servus. 45. D. mand. l. 7. D. de ser. expor.*

XIX.

Sed hæc diversissima sunt, Æstimationem fieri ex adfectu, & Actionem dari ex adfectu.

XX.

Sane ex adfectu jure jurendo in litem dicitur æstimari, quanti interest jurantis. Quod tamen moderari Iudex potest ac debet. *l. semper. §. hoc interdicto. D. quod vi aut clam. l. videamus. l. in actionib. D. in lit. jur.*

XXI.

In omnib. rebus tam corporalibus, quam incorporalibus, id quod interest dici solet præter pecuniam, In numis enim usura dicitur propriè.

A;

Dein-

XXII.

Deinceps, quis sit modus ejus quod interest cognoscendum est. Id vero ex rebus atq; negotiis, in quibus præstatur, æstimatur. *Casus Justinianus appellat ex d. l. un. C. de sent. quæ pro eo, quod int.*

XXIII.

Casus sunt, non contractus ipsi, sed species facti cujusq; cum suis circumstantiis, ex quo id quod interest debetur, præter rei principalis obligationem. Græci Jurisconsulti *ἑµατα* vocant.

XXIV.

Certos sic Justinianus definit, Qui certam habent quantitatem vel naturam. Unde & qui sint incerti intelligi potest. *d. l. un.*

XXV.

Quantitatem certam interpretamur certam pecuniæ summam obligatione comprehensam: ad pecuniam enim numeratam plerumq; quantitas refertur in jure. Sed idem hic & de alia re certo pondere, mensurare constante dicendum.

XXVI.

Naturam certam habere intelligimus, omnem aliam rem quæ certos fines habeat ita, ut certum quoddam totum efficiat, certamque & communem æstimationem recipiens.

XXVII.

Tales sunt species omnes, vel corpora, veluti fundus, Stichus. Immo & usus fructus, & facta limitata, puta certum fundum tradi, certam domum ædificari, certæ operæ.

XXVIII.

Amplius etiam: quamvis sub appellatione generis, vel alternative species sit promissa, tamen certam naturam habere, & ad Justiniani constitutionem pertinere dicimus. Quamvis alias incertum continere dicantur.

l. ubi a. § qui illud. D. U. O.

Omnis

XXIX.

Omnis casus interesse, si a ipsum tantum interesse respicimus, est incertus: b Sed si rem principalem, cui adcedit, secus est: cum enim ea res certam quantitatem vel naturam habet, interesse casus dicitur certus.

a) l. ult. D. prator. stipul. cum simil. b) d. l. un. C. de sent. qua pro eo quod int.

XXX.

Is contra casus incertus est, cum interesse vel principaliter per se debetur, vel adcedit quidem alteri rei, sed naturam vel quantitatem incertam habenti. d. l. un.

XXXI.

Sed etiam si rei certæ adcedat, tamen incertum casum tunc dicimus, si præter illam rem aliud quiddam incertum respiciat, & quasi pro objecto habeat: puta prævisionem & susceptionem tacitam periculi aliarum rerum.

l. tenetur. § sed si vas. D. de act. emt. l. sed addes. § 1. D. Loc.

XXXII.

Quare vascularius si vas ad vinum vel oleum, vel unguentum recipiendum factum vendiderit, idq; vitiosum fuerit, ut liquor inde efflueret, totius liquoris nomine tenetur, etiam si decuplo excedat pretium vasis. Qui enim artem profitetur, omne periculum tacite in se suscipere intelligitur, debet enim culpam præstare. L. Iulianus. § quid tamen D. act. emt.

XXXIII.

In casibus certis constitutio definit, ut id quod interest, non possit duplum excedere, quamvis pluris forte intersit: infra autem possit consistere.

L. 1. D. act. emt. l. 6. D. de vi & vi arm.

XXXIV.

Duplum intelligitur ratione simpli, id est, rei principalis in obligatione versantis, cui adcedit extrinsecus id quod interest. Et hoc

hoc simplum in hoc duplo inest. Veluti si C debeantur ratio interesse non potest excedere altera centum: atque ita in ducenta tantum condemnatio fieri potest.

XXXV.

Casus interesse certi in venditionibus locationibus, aliisque contractibus versantur; plurimaque exempla reperiri possunt, non tamen omnes in iis casus certi sunt.

XXXVI.

Nec refert contractus sint ipsi certi an incerti. Neque enim causam obligationis hic consideramus: sed rem certam naturam constantem.

XXXVII.

In obligationibus in quibus factum versatur, certus casus interesse dici non potest, nisi factum ipsum conventionem contrahentium definitum sit, ut in venditione factum certo precio aestimatur, in locatione mercede.

XXXVIII.

Et generaliter ubi id quod interest principaliter versatur is casus incertus est, sive contractus sit, sive maleficium.

XXXIX.

Igitur cum id quod interest initio in obligatione versetur, id totum praestandum est non habita ratione dupli aut tripli vel simili. Veluti in furto, in damno injuria dato, non enim rei ablatae vel corruptae aestimatio in eas actiones venit, sed quanti interest damnum datum, vel rem oblatam non esse

l. ait lex. D. ad L. Aquil. l. r. §. non solum. D. und. vi l. qui vas. l. inficiando. D. de furt.

XL.

In casibus incertis constitutio neque duplum neque aliam taxationem adjecit ejus quod interest, aestimationi: neque potuit, cum nihil in illis reperitur, quod duplari queat.

XLI.

Sed praecipuum tamen iudicibus illud injungit, ut subtiliter requirant, atque considerent, quodnam revera inducatur damnum, ut hoc reddatur: non autem ex quibusdam machinationibus, & immodicis perversionibus in circuitus inextricabiles redigatur. Quae sunt ipsa Constitutionis verba. Et quod de damno, in extremo & de lucro caver.

Indemni-

XLII.

Indemnitas dupliciter deberi potest. Primo vel adaccessorie in consequentiam principalis obligationis certæ, ut cum vendens fundum liberum, promittit emptorem reddere indemnem a servitutibus: hypotheca, a conditione feudali, emphyteutica: & tunc est casus certus. *l. cum tibi. C. de evict.* Secundo; vel sola indemnitas principaliter & absoluta debetur nec est aliud simplum eidem debirum: ut in cautione damni infecti: *l. in hanc stipulationem. D. de dam. inf.* & tunc est casus incertus, & totum damnum venit etiam decuplo ultra æstimationem domus ruinosa, quia hæc non erat simplum, cum non esset in obligatione.

XLIII.

Idem etiam jus est, ubi adest res principalis certa, & simplum, sed præterea casus interesse habet etiam aliud objectum specificum extrinsecus, puta susceptionem periculi prævisi alterius rei, ut supra dictum. *Ut in l. tenetur. § si vas. D. act. emt. & aliis legib. & speciebus.*

XLIV.

Ratio cur de ejus, quod interest, æstimatione Justinianus constitutionem scripserit, illa est, ut veterum de ea dubitationes in infinitum, ut ait, productæ, quantum fieri posset, minuerentur.

XLV.

Cur autem ita constituerit, id est, partim intra dupli modum concluderit, in casibus certis, partim ad veritatem investigandam iudices compellat, illa est ratio, quod naturæ congruum sit eas tantummodo pœnas exigi quæ vel cum competenti moderamine proferuntur vel legibus certo fine statuuntur.

XLVI.

In delictis locum non habere taxationem dupli hujus constitutionis, verissimum est, licet contra Adcurs. & alii interpretes
B sen-

sentiant. Dolus enim delictis, in id quod vere interest, sive ad verum damnum dolo datum, ultra duplum tenetur.

XLVII.

Sed an etiam ita dolus in contractibus vel quasi contractibus teneatur, merito dubitant. Et verius est teneri, & quidem indistincte, sive in faciendo, sive in omittendo dolus versatus sit.

XLVIII.

Immo etiam culpa cessante dolo in delictis vel quasi delictis, ut saepe in l. Aquilia evenit, taxationi dupli eximitur & totum interesse sive damnum solvendum est, moderatius tamen, ubi culpa simplex intervenit. Nam pro modo culpæ condemnatio moderanda est.

XLIX.

De pœnis conventionalibus etiam longa & perplexa disputatio est, an sit in iis dupli taxationi locus? Et verius est non esse: Sic tamen ut non semper tota pœna, quæ convenit, exigatur, sed si modum excedat, æquitate temperetur, velut D. Marcus rescripsit, stipulationis iniquitas ad modum justæ taxationis redigatur.

l. cum quidam, in pr. D. usur.

L.

Quod maxime dicendum est si conventionali pœna, aliquid in fraudem legitimarum usurarum factum sit. Item, si pœna pro usuris, vel eo quod interest in casibus certis in stipulatum deducta sit, servandus idem modus dupli est.

l. Julianus. § idem Papin. D. act. emt. l. 1. D. de usur.

l. pœna. l. pecunia. D. cod.

LI.

Quamvis igitur id quod interest incertum sit, tamen a iudice definitur juxta præscriptum legum, & condemnatio ex eo fieri debet taxatæ certæ quantitatis.

l. quatenus. D. reg. jur. l. in fine. D. de int. stip.

Et

LII.

Et cum probari id quod interest debeat, idq; sit difficilimum,
inde fit ut sæpe ad exiguam summam redigatur a iudice.

LIII.

Cujus difficultatis & incommodo vitandi causa commo-
dissimum est ejus vice certam pœnam stipulari.

l. ult. D. de prat. stip. § ult. Inst. de V. O.

LIV.

Pœna est quoddam interesse finitum, & circumscriptum,
eujus scilicet summa conventionem certa definita est.

l. stipulatio ista. § alteri. D. V. O.

FINIS.





Handwritten text at the top edge of the page, including the word "Albion" in red ink.

01 A 6518

ULB Halle 3
 002 937 514




VD 17

Libro ✓

Handwritten text at the bottom edge of the page.





XVII.
SCIPIONIS
GENTILIS
IURISCONS.
DISPUTATIO
DE EO QUOD
INTEREST.

Quam
IUVANTE DEO
publice defendere conabitur

THEODORVS BVS-
SIUS KALENBERGVS
SAXO BRUNSVIG.

ALTORFI NORIC.
M. Januario,
Anno cl^o Is CVIII



NORIBERGÆ,
& Typographeo Abrahami Wagenmanni.

